Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8277
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Dicit Apostolus Invisibilia dei per ea que facta sunt id est creatura mundi intellecta conspiciuntur. Quelibet autem trinitas sive spiritualis in angelo sive corporalis in mundo sive spiritualis et corporalis in homine similitudinem quandam divine trinitatis ostendit. Ipsius tamen similitudinis non perficit veritatem. Deus enim est spiritus increatus immensus incommutabilis. Summe potens summe sapiens summe bonus increatus quia non incepit ex tempore immensus quia non circumscribitur loco incommutabilis quia non variatur affectu. Summe potens cui nichil est impotentie. Summe sapiens cui nichil est ignorantie. Summe bonus cui nichil est invidentie. A quo omnia per quem omnia in quo omnia. A quo omnia sunt potenter creata per quem omnia sunt sapienter formata in quo omnia diligenter sunt conservata. Creata per potentiam formata per sapientiam conservata per diligentiam. Per potentiam patrem causam efficientem. Per sapientiam filium causam afficientem. Per diligentiam spiritum sanctum causam perficientem. Tres enim sunt qui testimonium dant in celo pater verbum et spiritus sanctus. Et hii tres unum sunt. Tres personaliter sua quisque notione distinctus. Pater generatione ~~filius~~ verbum filiatione. Spiritus sanctus processione. Unum essentialiter totum omnes quoque singuli. Natura potentia voluntate. Et omnino quidquid secundum substantiam predicatur. Hanc eternam et individuam trinitatem laudant angeli adorant dominationes tremunt potestates. Cum quibus et nostras voces. Duas enim omnipotens deus rationabiles condidit naturas angelicam et humanam que laudibus divinis insisterent et gratiarum redderet actiones quas dum pari voce concelebrant tamquam superiores et inferiores corde in celesti cythara sociantur. De qua dicit Iohannes Audivi sicut vocem citharearum cytharizantium in cytharis suis et cantabant quasi canticum novum. Supplici confessione quasi non superba presumptione sed humili laude dicentes. Sanctus sanctus sanctus dominus deus Sabbaoth. Ter dicitur sanctus et semel dicitur dominus ut trinitatis et unitatis misterium comprobetur. Hoc non solum seraphim clamabant sub excelso dei solio secundum prophetam sed et iiii^or animalia secundum apocalipsim in circuitu sedis requiem non habebant die ac nocte dicentia. Sanctus sanctus sanctus dominus deus ~~sabbaoth~~ omnipotens. Deus dicitur sanctus id est sanctificans non sanctificatus. Unde sancti estote quoniam sanctus sum dominus deus vester. Sanctus pater dicente filio pater ~~sancte~~ sanctifica eos in veritate quos dedisti michi quia tu sanctus es. Sanctus filius angelo protestante quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius dei. Sanctus spiritus Christo dicente accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Dicitur autem dominus Sabbaoth id est dominus exercituum vicibus angelorum et hominum quorum terribilis acies est ut castrorum ~~acies~~ ordinata. Tot enim exercitus deus habet in terra quot ordines sunt ~~in angelis~~ nomine celorum et terre angeli et homines divina pleni gratia perhibentur vel ad literam celum ~~celi~~ et terra gloria divina replentur. Quia deitas est ubique unde propheta Si

in ecclesia. Tot habet in celis quot ordines sunt in angelis ∴